



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.
XII**

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De morte Hermanni secundi Decani in Colonia, cap. 45.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

Godefridus verò non minus miserè defunctus est: erat siquidem auarus valde, & magnam in curia pecuniam collegerat. Die quadam tempore Philippi Regis Romani, magnum in domo sua debitoribus domini sui fecerat conuiuum, ex pecunijs eiusdem Philippi, quas Adolpho pro coronatione dederat, illis accommodata restituere propens: ante enim quām de eodem conuiuio gustasset, apoplexia tactus obmutuit, & sine confessione atque sacra communione spiritum exhalauit. Post cuius mortem cuidam sacerdoti talis de eo visio ostensa est: Vedit eum Coloniae ante monetam incidi impositū, quē Iacobus Iudæus, imò Iudaorum episcopus, cui fuerat familiaris, malleo extendit usque ad denarij tenuitatē. Et bene concordabat pœna culpæ; fuerat enim magister monetæ, & monetariorum socius, & quia multa ibi cōgregauerat pecuniā, luere ibidē visus est auaritiae pœnam. Quæ de morte Hermanni, secundi Decani in Colonia, percepi non tacebo.

CAPVT XLV.

ERAT idem Hermannus homo multum auarus, & amator pecuniæ: accidit ante hoc bienniū, ut canonicus quidam Bonnensis, Wynricus nomine, cognomento Stempel, moreretur: qui statim post mortem Erwino, maioris in Colonia ecclesiæ canonico, in somnis apparens ait: Rogo te, ut ad diem meum venias ante capellam sancti Nicolai. Quod cum Erwinus renueret, sciens eum mortuum, subiecit ille; Peto ut hoc ipsum dicas secundo Decano, quia dies erit octauo die. Ille euigilans, & de visione satis admirans, quid viderit, vel quid Winricus mandauerit, manè Decano recitauit. Qui statim visu intelligens, respondit: Ego satis timeo, quod diē eius citò obseruare debeam, quia homo senex sum & debilis. Statim eadem die peius cœpit habere, ita ut prædicto die moreretur. Quod ubi comperit Erwinus, umens quia & ipse moriturus esset, cœpit se per cōfessionem atque sacram communionem ad mortem

præpa-

præparare. Ad quem maior Præpositus; Cras in conueniu dicite ei missam solennem, & sepelite, sicque satisfecistis petitioni eius. Quod ita factum est, atq; iuxta capellam prædicti confessoris ab eo supultus. Adhuc idē Erwinus viuit, à cuius ore audiui, quę dicta sunt. Inter auaros pœnas soluēt etiā aduocati, qui modò salario pinguis recipiunt, & causas subuertunt.

CAPVT XLVI.

NArrauit mihi ante paucos menses aliquis sa- *De Aduo*
cerdos de Saxonia, dicens: Nuper in terra *catis ma-*
nostra quidam decretista nominatus mor- *lis.*
tuus est: qui cùm hiaret, lingua in ore defuncti non est
inuenta. Et meritò linguam perdidit moriens, qui
illam sèpe vendiderat viuens. APOLLONIVS: Simile
dixisse te recolo de Henrico Ratione in distinc^t. 6. ca-
pitu. 2. 8. CAESARIVS: Recordor nunc cuiusdam verbi,
de huiusmodi aduocatis ironicè dicti. Eodem tempo-
re, quo iam dictus Henricus obiit, mortuus est & ma-
gister* Falco Treuerensis, mortui sunt & plures no- * *al. Fol.*
biles terræ: Rectè, inquit quidam canonicus, faciunt *co.*
nobiles isti, quòd morientes secum ducunt aduoca-
tos istos, erunt enim eis necessarij. A P O L L O N I V S:
Non ibi valebit Saxo neque Ratio, quia sine lingua,
sive clauso ore, verba minimè formantur. CÆSARIVS:
In illo diuino examine, ubi aperti erunt libri, & Ieru- *Sopho.*
salem scrutabitur in lucernis, nullus aduocatorum
neque pro se neque pro alijs assignare poterit aliqua
falsa loca ex legibus sive decretis. Et hæc dicta sint
de auaris. De dolosis verò, cui coniuncta est auaritia,
nunc aliqua subiungam exempla.

CAPVT XLVII.

IN diœcesi Colonensi villa Bude, rusticus qui- *De Dole*
dam fuit Henricus nomine: hic cùm morti pro- *sis.*
ximus esset, lapidé grandē & ignitum supra se in
aëre pendere consperxit. Ex cuius ardore cùm æger ni-
mis æstuaret, voce clamauit horribili: En lapis capitū
meo imminēs totū me incēdit. Vocatus est facerdos,
confitetur, sed nihil profuit illi; Recogita, inquit, si
aliquē